



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

81. Ut in vvadium sacra vasa vel vestimenta non mittantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

De fontibus sacris. *Vnde supra.*

Hincmar. Ca-  
pitula an. 852.  
c. 3.  
Burchard. lib  
4. c. 13.  
Capitulae  
Ahytonis c. 7.

LXXIX. Presbyter qui fontes lapideos habere nequiverit, vas conveniens ad hoc solummodo baptizandi officium habeat, quod nunquam extra Ecclesiam deportetur. Similiter ad corporale lavandum & ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat. [*Vide infra cap. 271. hujus libri.*]

Ut nullus Presbyter absque vestimentis sacerdotalibus praesumat Missam cantare.  
*Ex Concilio Remensi.*

LXXX. Nullus Presbyter sine amictu, alba, & stola, & fanone, & casula ullatenus Missam celebrare praesumat. Et haec sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco intra Ecclesiam collocentur. Nec Presbyter, cum his induitur, extra Ecclesiam exeat; quia hoc lex divina prohibet.

Ut nullus Presbyter in vadium sacra vasa vel vestimenta mittat. *Vnde supra cap. XI.*

Hincmar. in  
Capitulis da-  
tis an. 852. c.  
11.  
Burchard. lib.  
3. c. 104.  
Capitulae  
Theodulfi  
c. 18.

LXXXI. Ut nullus Presbyter praesumat calicem vel patenam vel pallium altaris vel vestimentum sacerdotale aut librum tabernario vel negotiatori aut cuilibet laico vel feminae in vadium dare, nisi justissima necessitate urgente: quia tanta est sanctitas sacri ministerij, ut salva altioris mysterij intellegentia, etiam per Prophetam Dominus prohibuerit ne cum sanctis vestimentis sacerdos procedat ad populum, sed intra sancta illa dimittat, &



DE ECCLES. DISCIPLINIS. 63  
conloquio divino rediens. Et cui in tabernas  
ad bibendum à sacris canonibus ingredi prohi-  
betur, sanctificata sacri ministerij nec ad con-  
tingendum immundis quanto minùs in vadi-  
monium exhibere debet, sicut Stephanus Papa  
& Martyr secundùm Hilarium in suis decreta-  
libus docuit.

ABHINC DE VITA SACERDOTUM.

Ut Episcopus & Presbyter non longè ab  
Ecclesia hospitium habeat. *Ex Con-  
cilio Carthagenensi.*

LXXXII. Ut Episcopus non longè ab  
Ecclesia hospitium habeat. Concil. Car-  
thag. 4. c. 14.

Ut Presbyteri nullatenus ubique hospitari  
sinantur. *Ex Concilio Meldensi  
cap. xxxvi.*

LXXXIII. Ut Presbyteri nullatenus  
ubicunque hospitari sinantur, aut aliquo mo-  
do ipsi præsumant; sed assiduè apud suas Ec-  
clesias esse studeant propter sacra mysteria vel  
ministeria fidelibus exhibenda, nec etiam ali-  
bi habitare permittantur. Neque mulieres  
quancunque \* habitationem habeant in locis  
in quibus Presbyteri aliquem recursum ha-  
buerint. Quod si observare parvipenderit,  
ita ut transgressores, & qui contra interdicta  
fecerint, judicentur.

\* *Sirmond. &  
cod. MS. fre-  
quentationem*